Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36815
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



patione privatum. Cum vero quem contra iusticie regulam ad locum altius provehi consensit, ab eiusdem archidiaconatus honore deponimus. Qui si ulterius in loco eodem ministrare presumpserit, se participatione communionis sacre noverit esse privatum. Restituto Honorato archidiacono instructam personam sub festinatione transmittere, qui quid non debere ex ratione fieri suis possit allegationibus demonstrare. Cunde namque archidiaconum ad nos venire decrevimus, ut quicquid iustum fuerit cognitis assertionibus partium decernamus. Hos enim nullius personali amore defendimus, sed auctore deo normam iusticie preposita cuiuslibet persone acceptione custodimus.

G. universis episcopis dalmatia constitutis. in ea.

Fraternitatem vestram. Sancte memorie decessor meus scripta fratri coepiscopoque nostro direxerat interdicens ne predictum archidiaconem proveheret. Cumque et a nobis hec eidem summopere fuerint interdicta, prefatum archidiaconem, ut dicitur, contra morem quasi ad fortiorem honorem provehens conatus est callide degradare.

G. Antonio subdiacono, id est predicto Natali episcopo et Honorato archidiacono. G. Iobino prefecto Illirici. in ea.

Licet ad reddenda Natali fratri et coepiscopo nostro in nulla vestra gloria contra iusticiam opem ferat. Quia tanto necesse est ut canonice ultionis vindictam sentiat, quanto et ipsam regulam canonicam ignorat.

Quod cumane ecclesie. G. Benenato episcopo in ea.

Karitas tua ad predictam ecclesiam ire properabit et assiduis adhortationibus clerum plebemque eiusdem ecclesie admonere te volumus, ut remoto studio in uno eodemque consensu talem sibi pre [gap] expectant sacerdotem, qui et tanto misterio dignus valeat repperiri et a venerandis canonibus nullatenus respuatur. Item in eadem. Commonemus et fraternitatem tuam ut nullum de alia eligi permittas ecclesia, nisi forte inter clericos ipsius civitatis in qua visitationis impendis officium nullus ad episcopatum dignus quod evenire non credimus potuerit inveniri. Provisurus ante omnia ne ad hoc cuiuslibet conversationis vel meriti laice persone aspirare presumant, et tu periculum ordinis tui quod absit incurras. F

Epistolam excellentie vestre. G. Rusticiane patricie in ea.

Valde autem miratus sum cur deliberate vie eundi ad loca sancta intentionem et votum operis boni deflexistis. Dum si quando aliquid dono